Officium Pietatis
Memoriæ ac Supremo Honori
Nobilissimi, Strenui, Amplissimiq; Viri,

Dn. Zachariæ Hermanni Vratislaviensis, J.U.D.

ac Illustriss. Principp. Monsterbergg. Consiliarii & Cancellarii meritissimi,

in ipsis Exsequiis XIII. Kal. VII.bris
A. C. cIↃ IↃC XLV. Vratislaviæ
Christiano ritu solenniter celebratis,

Ex Pio Affectu & cultu,
in Solatium pariter

FAMILIÆ HERMANNICÆ,
Ab Amicis exhibitum.

Breslæ, Exscripsit GEORGIUS BAUMANNUS.

Quisquis es, VIATOR, Sta, Lege, Cogita.
Heic situs est
ZACHARIAS HERMANNUS Vratislav. J. U. D.
ZACH. DOCT. THEOL. FIL.
Qui cum aptâ Hermathenæ harmoniâ Philosophiam
cum Jurisprudentiâ conjunxisset,
meritissimo suo summos Honores,
Illius in VVitebergensi, Hujus in Argentoratensi,
Academiis nactus;
Redux in Patriâ se talem & tantum fore præmonstrasset,
ad majora nisurus duplici patritii generis matrimonio præmunitus,
initiò S. P. Q. Patriæ probatus,
posteà Illustrisſ. Monsterbergg. Ducibus;
DN. HENRICO VVENCESLAO,
Pro-Regi Silesiæ, CONSILIARIUS,
& hoc defuncto,
DN. CAROLO FRIDERICO FR.
in locum JOH. GERARDI JC. mortui
CANCELLARIUS creatus.
Ubi cùm utrobiq; cultum in Prr. fidem, prudentiam
& moderationem in eosd. & Patriam,
ac ceteras eminenti Viro dignas Virtutes &
laudes ostendisset,
in ipso ætatis confirmatæ flore,
& medio rerum agendarum cursu interruptus,
PR. Suo Opt. Patriæ, Suisq; ingens quidem Desiderium,
at Posteritati memorabile veri Consiliarii & Can-
cellarii Principalis exemplum reliquit.
Hoc MON. LITERARIUM
Charissimo Fratri Suo Præpostere Præmisso,
lubens DEO vocante eum secuturus,
communis mortalitatis, & futuræ
æternitatis memor
FIERI FECIT
M. MICHAEL HERMANNUS
Pastor ad D. Mar. Magd.
Vratislav.

LUctus signa, fabas, nigella ferte
Musæ, & flore comam ligate tristi.
Lux isthæc apium meret, cupressum
Isthæc mœsta dies meret feralem.
HERMANNUS Themidos jubar coruscum,
HERMANNUS decus Olsenensis aulæ,
Et Sidus generis sui celebris
HERMANNUS tacito sopore mersus,
Sub tumbâ tenui quiescit altùm,
Dignus nestoreis in orbe seclis.
Si messis periisse dicta in herba
Unquam jure fuit bono, vel usquam,
Hîc dici periisse jure debet:
Annorum periisse plurimorum.
Parvo tempore si labor videtur
Ullus ullibi, nunc mihi profectò
Brevi tempore strenuus videtur
Annorum periisse plurimorum.
Labor, dum cecidit Dices sacrata,
Hæc cum divite spe (*dolor!*) columna.
Verum sic voluêre fata menti
Piæ consulere, & malis nefandis
Ereptam rutilum subire cœlum.
Quas dum pensiculo vices, querelis
Parco cordi voris, piisq; gratans

Vale manibus apprecor supremum:
Salve delicium decusq; cœli
HERMANNE, in tenebris soli sacerdos
Qui juris fueras, in arce fulges
Nunc cœli ante Dei thronum sacerdos.
Macte hâc lætitiâ poli beatâ
Æternùm, breviter JEHOVA cives
Nos junget Solymæ novæ benignus!

συμπάσχων f.
ANANIAS Weber D.

M*essis adest*: repetunt fundos & prædia, grandis
Queis acie falcis secta, secanda Ceres.
Inter eos HERMANNUS, *Apex clarissimus artis*
Omnigenæ, & legum, consiliiq; cati;
Eximiam cujus virtutem, operamq;, fidemq;,
OLSNENSIS PRINCEPS ORAQUE TOTA *probat:*
Inter eos HERMANNUS, adit CATHARENSIA villæ
Rura suæ, requiem menti animoq; petens.
Quoquò oculos vertit, sese spectacula produnt,
Quæ jubeant curas deposuisse Virum.
Cernit lætus opes, Patrii quas Numinis aurâ,
Fudit ager segetis dives aristiferæ.
Hinc Patri promit grates ê pectore, vultus,
Quo faciente, hilares possit habere, DEO.
Quid loquor? exoritur media inter gaudia clades,
Atq; sibi, atq; aliis sollicitudo timens.
Fecerat infelix incuria nescio cujus,
Ut rapidas, ædes duceret alta, faces.

Ferte

Ferte citi limfas, situlas date, tecta rigate,
Ne quoq; inardescat proximus Ucalegon: [ret.
Clamat hians, ut prædium Aqua, Aqua, omne sona-
Turba tamen minimè tam citò, ut optat, adest.
Hinc timor, ira, dolorq; in eodem turbida corde,
Nil sunt passa super roboris esse Viro.
BRESLÆ igitur revehi langventem ad mœnia vidit,
Mors, fati callens quid velit ordo sibi.
Messem, inquit, segetesq; aliis, & prædia porrò
Linque, HERMANNE; brevi *tu mea messis eris.*

M. ELIAS MAJOR P. L. C.
Gymnasii Vratislaviensis Elisabetani
Rector & Professor, cæterarumq;
ibidem Scholarum Inspector.

E*st magnum clarêre suis Majoribus: at si*
Clarescas proprio nomine, majus erit.
Principibus placuisse viris Laus grandis habetur:
Sed charum, Laus est grandior, esse DEO.
Quem virtute juvat niti, non aulicus illum
A justo Recti tramite pellit amor.
Nec trahit Hunc, sed Ei spectrum ingens fœda voluptas,
Quod fugit, ac ipso Dæmone pejus habet.
Gloria, divitiæ, felix successus agendi,
Consilium dextrum, judiciiq; vigor,
Hinc favor, hinc gravitate nitens aspectus, & inde
Ad populorum aures pondus in ore potens,
Sæpius insignis gestis prudentia rebus,
Conscia mens recti, nescia tota mali,

 Prospexisse

Prospexisse Duci benè, providisse saluti,
Illius & domui consuluisse benè,
Nobilium curasse bonum, curasse popellum,
Publica privaq; ne perdita cuncta forent,
Et tanto passim dominante furore furentis
Martis, adhuc quædam salva videre Bonis,
Omnia sunt quæ laude virum dignantur, & Ejus,
Efficiunt, nequeant nomen honosq; mori.
ZACHARIDÆ HERMANNO, Patre qui clarescit, avisq;,
Et meritis propriis, talia conveniunt.
Ingenium Studiumq; virum provexit ad alta,
Altum servarunt Candor & Integritas;
JURIS-CONSULTUS, ceu svadent jura Ducatus,
Gessit in officio cuncta gerenda suo.
Consuluit quod jura jubent, quod duraq; tela
Non sivère alio constituisse modo.
Cancellos juris Vir CANCELLARIUS omnes
Per casus novit disposuisse probè;
Et secretorum condus promusq; fidelis
Officii celebris digna brabéa tulit.
Sic mundanus erat semper cœlestis ut esset
Incola, & extremum promtus obire diem.
Jussit Eum Dominus Vitæ sua lumina vitæ
Claudere, & ad mortis condere se tenebras.
Fecit jussa DEI, nuper de corpore vitam
Reddidit, unde habuit, Pronus ad omne, DEO.
Corporis exuvias tellus abscondit, in altum
Fama volat sera posteritate vigens.

Principis

Principis Aula dolet fatum sibi morte peremti;
Bresla suum Natum nunc cecidisse dolet.
Conjunx cum Natis, Frater communia Mortis
Jura caput charum surripuisse dolent.
Spiritus Abrepti firmo solamine mœstos
Erigit: O chari sistite vos lachrymas.
Pro curis optata quies, pro milite pacis
Princeps suppeditant gaudia mille mihi.
Carcere corporeo placida sum morte solutus:
Vos vivo clausos corpore dira manent.
In cœlis Mihi honos: onus intolerabile vobis,
Me tenet aula nitens: vos tenebrosa domus.

Manibus Defuncti honorem,
Lugentibus Defunctum Solamina
præstans
JOHANN Kurtzman Wratislav.
in Ecclesia patria ad D. Mar.
Magd. Archidiacon. & Senior,
ad Sacellum verò SS. Trinit.
Ecclesiastes.

Ex Hermannorum TRIADE, Spectamine Fratrum,
Proh dolor! est gemino Funere facta MONAS.
Ante diem, DANIEL, vivo Genitore, cadebat:
ZACHARIAS vitâ jam cadit, ante diem.
Ille celebrati decus indelebile Templi:
Hic Cor, hic Olsnensis Lingva diserta Ducis.
Vix illum Patriæ primaria desinet Ara;
Hunc Consultorem Principis Aula queri:

Sed,

Sed, fine fruge, queri. Quis ſcit, de Morte, reverti?
Mortuus ut redeat, nulla Querela juvat.
Qui cadit, exſurgit; qui deſinit, incipit eſſe;
Si cadit & ſtabili deſinit eſſe Fide.
Sic cecidere duo, TRIADOS Pars maxima, Fratres:
Ut MONAS hæc maneat firma, det UNA-TRIAS!

Sic doleo, ſic precor ἐξ ἀγάπης εἰλι-
κρινοῦς καὶ ἀνυποκρίτου

M. HENRICUS CLOSIUS
Gymnaſii Magdalen. Rector.

Tumulus

ZACHARIÆ HERMANNI JC.
Cancellarii Monſterbergenſis.

Qui puer inveſtis præludens mente ſenili
Edidit ingenii judiciiq; minas:
Ac qui veſticipes ſuperavit fortiter annos,
Cum largas promſit cordis & oris opes:
Nunc ubi confirmata virum vix fecerat ætas,
Et Patri, & binis Fratribus usq; parem:
Optio Conſilii datus alto in ſede GERARDO,
Ac ſapiens Domino mens oculusq; ſuo:
Heic jacet HERMANNUS. Qui quamvis Neſtori diſpar
Illi annis, ſed par Neſtor in ore fuit.
Oſtendére virum patriæ vix fata ruenti,
Nec ſinit hunc ultra concitus eſſe DEUS.
Utq; abies ululat proſtrato robore quercûs,
Sic patriam quasſit tanta ruina viri.

Nam

Nam ratis incolumi quo MONSTERBERGA cucurrit,
Hiſcit nunc lapſo remige nuda ſuo.
Naufragus at vitæ, Palinuri Principis ævo
Tot ſibi præreptos voverat ipſe dies.
Quò poſthac Helices ſuperæ illuſtratus ab aſtro
Dirigat ad Patriæ publica vela Bonum.

Memoriæ magni ſui Patroni, & HERMANNICÆ FAMILIÆ per integrum propè ſeculum de Patria optimè meritæ, FAUTRICI & PATRONÆ Suæ à multis annis ſingulari devotus l. m. q;. Poſ.

CHRISTOPH. COLERUS.

HEu! quantum quereris rurſùm Tibi, BRESLA, peremtum;
Quàm charum Illuſtris PRINCIPIS OLSNA, VIRUM!
Quæ Patriæ claros, ter terna decennia, Myſtas
Protulit, HERRMANNÆ Gloria GENTIS erat.
Quem Themis Argyropes ſummo mactavit honore,
Ut dignum tanto Nomine; DOCTOR erat.
SCHOLZIA quem Thalamo, quem fovit EBENIA Con- (jux,
Bis binâ felix Prole, MARITUS erat.
Quem FRATER geminus PRINCEPS adſcivit in Au- (lam,
Aulæ conſiliis utibilis VIR erat.
Summatim: EUSEBIES, THEMIDOS, PEITHUSq; peritę,
Et Ducis OLSNENSIS, quantus erat, COR erat.
BRESLA VIRUM quereris, quereris ſimul OLSNA per- (emtum,
Quales ſæpè dari SLESIA tota velit.

Nunc

Nunc sed ubi? *Eximius cum Cancellarius Aulæ* Sir. 10 v. 15.
Aut datur, aut rapitur res gravis; una DEI est.

Aulæ Illustri & honoratissimæ
Herrmannianæ Familiæ
ob præmaturum hujus Decoris sui Obitum lugentibus
piè, officiosè, & sincerè
collugens scr.

M. VALENT. KLEINWECHTERUS
Gymnas. Vrat. Magd. Conrector.

QVis me per altas impetus raptat vias,
Bigis sedentem nubium volucribus?
Fallaxne visus fascinat spectaculum?
An picta cœli conspicor palatia?
Non fallor. Hic est nempe trames lacteus,
Quem Tu notasti candidis vestigiis,
Hermanne, nuper, cum subires æthera,
Et hospitam tibi Bootes fulgidus
Laxaret aulam, quæ capit mentes sacras.
Salve serenæ civitatis incola:
Tu jam petaura despicis mundi vaga,
Et turbulentas temporum rides vices,
Supra secures Cæsarum, & fasces Numæ,
Aulæq; sortes purpuratæ splendidas
Evectus, & beatitudinis sacro
Portu potitus. Ergo quid te persicæ
Ornant inani neniâ Libetrides?
Quid Bresla cippos elegantes extruit,
Quæ prædicent te subsequis nepotibus?
En numen ipsum figit in polo tibi
Clarum tropæum propter astrum Virginis,
Quæ jus cuiq; lance partitur suum
Æquâ. Sacerdos nam Dices justissimus,
Aulæq; Consus integerrimus piæ
Vivus merebas inserendum cælicis
Nomen libris, quod nulla deteret dies.

M. JOHANNES FECHNERUS.

Apostrophe
PIE DEFUNCTI HERMANNI
ad Uxorem & Consangvineos superst.

QUid lachrymas sudatis, ó Superstites?
Quid corda vestra frangitis suspiriis,
Meumq; madidis flere pergitis genis
Exangve funus? parcite huic injuriæ,
Quâ simul iniquè me gravatis & DEUM.
Operam satis quà priva, quaq; publica,
(Heic Principis mei, & Ducatûs totius,
Vestræq; testor conscientiæ fidem!)
Noctes diesq; mente rectâ contuli,
Nil expavescens odia, nil molestias:
Nunc expeditum blanda me fovet quies.
Vos me quod amisistis, haut vobis satis
Ulla ad dolendum caussa; sed quod tandiu
Pietate nostrâ uti frui fuit integrum,
Beneficium hoc insigne, cæliq; est favor.
Jure ergo tanti muneris sine murmure
Semper datori liberum arbitrium manet;
Foretq;

Foretq; summæ ingratitudinis nota,
Finem bonorum nuncupare injuriam.
Decreta nempe Numinis, mortalium
Argutiis immane quantum discrepant.

Veterem amicum & Patronum lugens fac.

MATTHIAS MACHNERUS,
Reipubl Vratisl. à Latinis expeditionibus & in Judiciis Orphanorum ac Ecclesiastico Notarius.

Inter eos, Musam pullo qui syrmate cingunt,
Tristia qui fundunt carmina, claudo chorum:
Sed non HERMANNI dotes: quas suspicit ævum,
Et quas Virtutes Olsnidos aula colit.
Hactenùs impendit Patriæ sua fata, Patronus
Qui Patriæ: vitam non reparare valet.
Quid juvat in Patriâ moribundâ vivere, vitam
Pendere, quid condi, condita quæq; juvat?
Disponente DEO, Patriâ moriente, supernam
It Patriam; laudes posthuma Fama canit.

*

Ultimus
Epigrammate, non Adfectione
quâ
BEATOS MANES
HERMANNIANOS
exosculor
WOLGANGUS STIRIUS.